





1709, 14 15
36

DE
VICESIMA
HEREDITATVM
POSITIONES IVRIDICÆ

QUAS

DIVINA FAVENTE GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

GVILIELMO HENRICO

SERENISSIMO SAXONIÆ DUCE AC

PRINCIPE JUVENTUTIS

DECRETO ILLUSTRIS IURECONSULTO-
RUM ORDINIS

SVB PRÆSIDIO

JO. PHILIPPI SLEVOGTII

J. C. CONSIL. SAXON. ET ANTEC. FACULT. JURIDIC. ET

SCAB. SENIORIS, CURIÆ PROVINCIALIS ADSESSORIS

GRAVISSIMI

PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI CULTU
ET ATEM PROSEQUENDI

PRO LICENTIA

GRADUM ET PRIVILEGIA DOCTORIS IN VTROQUE

JURE OBTINENDI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

CHRISTIAN. FRIDERICVS SCHROETER
IENENSIS.

A. D. NOVEMBR. M DCC IX.

JENÆ, LITERIS VVERTHERIANIS.



38.

DE
 VICE SIMA
 HEREDITATVM
 POSITIONES VARIAS
 QUAS
 DIVINATIBUS GRATIA
 RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
 GUILLELMO HENRICO
 SACRASSIMO Saxonie Ducis ac
 PRINCE JUVENITIS
 DECRETO ILLUSTRISSIMO CONSILIO
 R. M. ORDINIS
 JO. PHILIPPI SEVOGTII
 J. C. COMIT. SAXON. ET AN. SAC. FACULT. JURIDIC. ET
 SCAB. SENIORIS, CUNCTISSIMO ADVOCATORIS
 GRAVISSIMI
 PATRONI AC PRAECEPTORIS SUI OMNI CULTU
 ET ATTEM PROSE QUENDI
 PRO LICENTIA
 GRADUM ET PRIVILEGIUM DOCTORIS IN UTROQUE
 JURIS UTRIUSQUE JURIS
 PARS DE QUATIONI SUBMITTIT
 CHRISTIANI ERNESTI SCHROETTER
 IENNENSIS
 A. D. NOVEMBER. M. DCCLX.
 JENNENSIS VERTICIANIS





Præfatio.



Non necessarium modo, verum etiam æquissimum esse, ut qui membrum societatis & civitatis est, aliquid ad communem usum conferat, nemo temere in dubium vocabit. Quid enim æquius, quid honestius, quam veluti hostimentum quoddam Reipublicæ reddere ex bonis quæ in ea quis nactus est? Fluit sane hoc ex communi axiomate, quod qui participat de commo, participare etiam de incommodo: idque secundum naturam esse dicit Paulus, in *L. X. de Reg. Iur.* Dignum proinde foret quovis civi bono, quod à Philosophis suis D. Pius sperabat, in *L. VI. §. VII. D. de Excusat.* voluntarie tribui pecuniam in utilitates patriæ: cum primis quod spontanæ hujusmodi collationes erectioris animi indicium præstent,

A 2

præ

præiis, quæ ex imperio mero indicuntur.
Baro de Verulam. *de Augm. Scient. L. VIII. Cap.
III. §. 2.*

Sed nunc

Exemplis violata malis, sublapsa feruntur
Cuncta retro, dum quisque sibi modo con-
fulit vni,

Securus quo publica eant redeatque tenore.
Vnde cum officio suo plerique hac in parte de-
sint, malintque inuiti ad necessaria hæc reipubli-
cæ munera præstanda compelli, ejus penes quem
suprema potestas residet, curæ committitur, tam
modos conferendi constituere, quam ipsas col-
lationes subditis ex imperio indicere, legesque
aduersus non inferentes sancire. Vt vero nulla
respublica, nulla monarchia vnquam nec tem-
poris termino diutius floruit, nec fere terrarum
spatio latius patuit, nec opum magnitudine co-
piosius abundauit præ Romano Imperio: Ita
subinde ad eos ararii augendi modos, quos prin-
cipes Romani excoluerunt, respicere potius,
quam novos exquirere sinus, nova prædandi
vocabula, non civilis modo prudentiæ magistri
inculcant, sed etiam, quæ adhuc dum memoria
vigent, nouarum exactionum causa excitatæ
apud exteros turbæ persuadent. Cum itaque
Augu-

Augustum seniore, inter Iulias rogationes, augendo arario latas, etiam DE VICESIMA HEREDITATVM sanxisse, & Dio Cassius ad annum urbis conditæ DCCLIX. me docuisset, & legis ejus vestigia quædam in Iuris ab Imperatore Justiniano composito corpore deprehenderem, animum subiit, in rationes & originem inuenti hujus penitus paulo inquirere, ac deinceps si quid omnino simile cum his, quibus nostra ætas vitur, deductionum generibus, isthæc ab Augusto prodita tributæ ratio habeat, dispicere. Quod dum ago, tantam argumenti fœcunditatem experior, vt gradum referre coactus, summa non nisi dicendorum capita, hac vice inauguralis specimis loco proponere, necessum habuerim. Idque ne vitio veritas, Lector beneuole obnixè rogo.

I.

Primus cujus de Vicesima libros, Juris autores laudant, Aulus Ofilius est. *L. II. §. 44. de O. J.* Vir equestris ordinis atque ipsi Cæsari familiarissimus.

II.

Quippe quem de hac potius Vicesima hereditatum, quam alia quavis scripsisse, Corasium
atque



atque Grauinam secutus, autumo. Dissent. Hot-
tomann. *Comm. verb. iur.* Eberlin. *de O. I. Cap.*
XL. n. 21.

III.

Hunc Æmilius Macer secutus, Aurelio
Alexandro Seuero imperante, cuius duos
de Vicesima libros, index Pandectis præmissus
memorat.

IV.

Erat autem Vicesima, quantitas certa ex
hereditatibus & legatis ærario inferenda.

V.

Originem Augusto debet, incrementum
Nerux & Antonino, modum Traiano. Adria-
nus & confirmauit, & quod ad executionem
eius utile fuit, adiecit. Ob quod Lex de Vicesi-
ma *HEREDITATVM*, per Synecdochen nume-
ri dicta, communiter etiam Lex *VICESIMA*
hereditatum appellari solita, rectius *VICESI-
ME* hereditatum dicenda, notante Gronovio
III. de Pecun. veter. XIII. add. Dio Cassius,
Histor. Roman. Lib. XLVIII. LV. & LVI. Plin.
in Paneg. Trajan. Capitolin in vita M. Antonini.

VI.

Æquitatem vectigalis huius, etsi sint qui in
dubium vocant, non desunt tamen qui tuentur
& de-

& deprædicant, miranturque, cum tam multa
quaerantur odiosa minus, hoc tam promptum
& obuium vsque huc neglectum. Lipsius
*ad Plin. panegy. C. XXVII. Io. Sturm. de Bell.
Turc.*

VII.

Neque acerbum aut iniurium videri debet,
detrahi aliquid & abradi iis bonis, ad quæ sæ-
pe præter expectationem heredes vocantur,
atque in partem aduentitii lucri Principem sive
Remplicam, inopia oppressam, admitti.

VIII.

Detrahebatur, ut dixi vicesima legatis æque
ac hæreditatibus: & ob id Macer ad Legem
Vicesimam tractavit de æstimatione legatorum.
L. LAV III. in leg.
pferat de Vicesima, Tribonianum transtulisse
ad Falcidiam, Cuiacius coniicit *IX. Ob-
serv. XIV.*

IX.

Non tamen omnibus promiscue heredibus
irrogatum onus hoc. Ipse Augustus plane
coniunctos sanguine, aut pauperes, exceperat.

X.

Sed hæc mansuetudo Legis veteribus tantum
ciuibus seruabatur: novi, quibus vel latinitas
data,

data, vel ciuitatis ius beneficio Principis indultum, nisi simul cognationis iura impetrassent, extraneorum instar habebantur, nec sine vigesima deductione suis succedebant. Plin. *Paneg. C. XXXVII.*

XI.

Hæc quippe legibus Romanis circa successiones, etiam agnatis delatas, ratio habebatur, ut patri aut matri ciuibus Romanis, filius peregrinus aut latinus non posset, neque ex testamento, neque ab intestato succedere, nisi ciuitatem aut ius Quiritum impetrasset.

XII.

Quare olim, cum ciuitas liberis peteretur, statem redigantur: ne alioquin & in successione testamentaria pro alienissimis haberentur, atque perinde ac ceteri extranei Vigesimali hereditatis fisco penderent. P. Faber *II. Semestr. XII. & XIII.*

XIII.

Postea Cocceius Nerua, miti ingenio Caesar, sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis peruenisset ad matrem, etiam si cognationum iura non recepissent cum ciuitatem adipiscerentur, eius Vigesimali ne darent.

XIV.

XIV.

Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem, qua ob status mutationem forte exciderat. In his enim evidentius apparet, continuationem domini eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam vivente patre quodammodo domini existimantur. *L. XI. de Liber. & Posthum. hered. Turamin. Epist. academ. IX.*

XV.

Hactenus ergo artandi non erant, qui pene ad propria bona veniunt. Enimuero illud restabat, vt quemadmodum in patris filio, sic in hereditate filii patri etiam esset immunitas: quod quia & rarius, nec ita ex naturae ordine erat, Nerua praetermississe videbatur.

XVI.

Igitur adoptatus ab eo imperii successor, Traianus, latissime extendere terminos liberalitatis suae cupiens, statuit, vt non minus in liberorum quoque bonis parentes necessitate vigesima soluerentur: ne socium hereditatis acciperent, quem non haberent luctus.

XVII.

Et cur posteris amplior honor, quam maioribus

B

ioribus

ioribus haberetur? curue non retro quoque cur-
reret aequitas eadem? Nam etsi parentibus non
sic liberorum, ut liberis parentum debetur he-
reditas, cum parentes ad bona liberorum sola
miserationis ratio vocet, liberos natura simul
& parentum commune votum: turbato tamen
ordine mortalitatis, non minus parentibus quam
liberis pie relinqui debet.

XVIII.

Non passus itaque lachrimas parentum ve-
tigales esse Traianus, aut recentem & attonitam
orbitatem ad computationem vocari, cogique
patrem, quid reliquerit filius scire. Hoc am-
plius, exceptionem illam: si modo filius in po-
testate patris fuisset: removit, intuitus vim le-
gemque naturæ, quæ semper in ditione paren-
tum esse liberos iussit.

XIX.

Quare noluit his nominibus inferi publi-
canum: ratus non sine piaculo quodam san-
ctissimas necessitudines velut intercedente vige-
sima scindi, nec ullum essetanti vectigal, quod
liberos ac parentes faceret extraneos. *Plin. Paneg.*
C. XXXVII.

XX.

Nec contentus primum cognationis gradum abstulisse Vigesima; secundum quoque exemit, cauittque vt in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, vtque auus auia in nepotis neptisue, & inuicem illi seruarietur immunes.

Sed & quam Augustus seruarat, inter veteres & novos per Latium ciues differentiam, Traianus, quo prorsus munificum & liberalem sese prastaret in moderanda vectigalis istius acerbitate, sustulit, omnibusque inter se cognationum iura commisit.

Denique, in modo etiam hereditatis dispensauit, & non modo cognatorum, affiniumque, paruam & exilem hereditatem à vigesima immunem esse voluit; sed carere insuper onere hoc; etiam affinitate non coniuncti, & ad quoscunque tandem perlatam hereditatem, dum ea tenuis ac modica esset, iussit. *Liuiæus ad Plin. Pa- neg. C. XL.*

Quantitatem Vectigalis ipsum nomen exprimit, dum vicesima appellatur. Nec legi circa summam hanc variatum fuisse, vt vt de ce-

tero in ipsis vicesimis plures differentiæ occurrerent, de quibus confer. Marcellus Donatus *in Linium Dilucid. XLIII.* Plane vsuras quoque eius nomine exigi solitas, Antonini imp. rescriptum comprobat. *in L. 1. C. de Usur. rei iud.*

XXIV.

Inferebatur ea aerario, cui militaris nomen Augustus indidit, eiusue administrationem praetoris tribus, sorte lectis, ad triennium mandauit. Id per successionem in multos annos productum refert Dio *Cass. Hist. Rom. Lib. LV.*

XXV.

Facit mentionem aerarii huius Zonaras quoque, cum Agrippae abdicati, & relegati in insulam, pecuniam ad aerarium militare relatam, narrat. Nec enim sola vicesima, sed aliis etiam vectigalibus, ducentesima rerum venalium, poenis coelibum, & bonis damnatorum, plurifariam illud instruxerat. Sueton. *in Augusto C. XLIX.*
Et ib. Casaubon.

XXVI.

Extant & inscriptiones antiquae quibus huius aerarii simul ac praefectorum eius memoria conseruatur. Lapis in Samnio L. NERATIO. C. F. VOL PROCULO. PRAEF. AERARII MILITAR. apud Lips. *in Sueton, August. d. l. it.*

ad

ad Taciti Ann. XIII. & pluribus in marmoribus
 Procurator vicesimae hereditatis. PROC. XX.
 HER. vel PROC. AUG. XX. HAERED.
 (Principis enim procuratores erant *L. XXII. de
 Transact.*) & Procurator ad vicesimam, item à
 Vicesima legitur, quod dudum summis viris ad
 Lampridium, & Pancirolo *in Notit. imp. orient.
 C. LXXIV.* obseruatum. Aliquando procurato-
 res hereditatum, siue vt Contius aduertit, here-
 ditatum Fisci vocabantur, ad quos Antoninus
 scribit *in L. I. C. de Usur Rei iud.* Legitur & in in-
 scriptionibus Procurator stationis hereditatum,
 & magister, nec non Subprocurator XX. heredi-
 tatum, apud Gutherium, *de offic. Dom. Aug.
 Lib. III. Cap. XXXV.* Atque procuratores hos
 etiam iurisdictione quadam usos, argumento
 est Vlpiani locus *in L. VIII. §. 19. de Transact.*

XXVII.

Quod autem Pluribus, iisque praetoriis vi-
 ris, Augustus curam aerarii huius commiserit,
 consulto factum videtur, ad praecauendum pe-
 culatus crimen: interest enim maxime, ne fidei
 sublestaе homines publicis pecuniis praefician-
 tur. Vnde iam olim etiam priuati in dispensa-
 tionibus suis id seruabant, vt fere non nisi pecu-
 liosis vel peculiatis pecunias suas committerent.

B 3

Plu-

Plures etiam electi, vt nimirum sibi intuicem obstarent, si quid pecuniarum alter subuertere molirerur, & hac ratione à rapina aerarium vindicarent. Quod prudens Romanorum institutum alii quoque secuti sunt.

XXVIII.

Postea in omnibus pene prouinciis, vnde eximii quidam reditus fisco proueniebant, Procuratores hereditatum constituti. Hinc lapis vetus:

T. CL. CANDIDO. COS
 PROC. XX. HÆRED. PER
 GALLIAS. LVGDVNENSEM. ET
 BELGICAM. ET. VTRAMQVE
 GERMANIAM

Aut reditus Vicesimæ publicanis locati: qui hinc *εικοσῶναι* dicebantur, cum publicanorum nomen generale esset, & omnibus qui reditus publicos conduxerant competeret. Cuiac. *V. Observat. XIII.*

XXIX.

Quamuis autem Vicesimæ onus heredi incumbat: attamen aliquando emtores quoque hanc ipsam soluisse legimus. Sed hoc specie magis, quam vi: nec enim emptor aliter id onus sustinebat, nisi cum specialiter in se recepisset;

set; atqui tunc in partem pretii venditori accrescebat.

XXX.

IV Ea propter attenti admodum erant, ad quos cura Vicesimæ exigendæ spectabat, ne vel ex composito, vel ignorantia veri pretii, in detrimentum filci hereditas iusto minoris veniret.

XXXI.

Exemplo est, quod de Corellia Plinius memorat, VII. Epist. XI. & XIV. Cum enim Plinio hereditarii agri obvenissent circa Larium, ibique Corellia possidere optasset, eos pro quincunce (tantum enim illi obvenerat,) ex septingentis millibus per Hermam libertum suum, Corellia adixit, non expectata auctione cum cohæredibus. Ex his agris vicesimam hereditariam Publicani fisco vindicabant: quod onus quando cum emtione simul & Corellia sustinebat, publicanis non fuit satis visum partem vigesimam quincuncis ex septingentis millibus, quanti illos emerat, accipere, sed ex nongentis millibus eam exegerunt, videlicet non ex liberalitate Plinii, sed ex vero pretio hereditatem æstimantes. Gronov. de Sestert. Lib. IV. Cap. V.

XXXII.

Apparet inde cur Martianus scripserit, testa-

testatoris præceptum, alicuationem prohibentis, neque creditoribus neque fisco fraudi esse debere. *in L. CXIV. §. 14. de Legat. 1.* Quamvis enim Ræuardus *III. Varior. XVI.* vtrum hæc de Vicesima hereditatum accipi debeant, hæreat, existimans, nihil prorsus in hac interesse fisci, posse vel non posse legatam rem alienari, & idcirco locum hunc de alia vicesima, nimirum rerum venalium potius interpretetur; attamen satisfactum ei à Cuiacio *IX. Obseru. XIV.* est, quod imo de fisco non minus, quam creditoribus dubitari potuerit, an si res defuncti omnino non possit extero alienari, nec possit in fiscum vigesima alienari.

XXXIII.

Hac ipsa porro de causa, ne quid in fraudem vigesimæ fieret, vt hereditatum aditionibus, divisionibus, transactionibus, prætor aut sane procurator hereditatum interueniret, olim obtinuisse; quin &, quod etiam ii, qui iure civili recte heredes erant, bonorum possessionem à Præto impetrare soliti sint, originem inde traxisse, Schiltero videtur. *Exerc. ad Pandect. XVI. §. 49.*

XXXIV.

Quare cum frater de hereditate cum sorore trans-

re transegisset, & ideo certam pecuniam se debere cauisset: etsi nulla fuisset quaestio hereditatis, tamen propter timorem litis transactione interposita, pecunia recte cauta intelligitur: & ex ea causa si soluerit frater fisco vicesimam, quasi hereditatis iam indubitatus possessor, solutum repetere non posset; etsi non soluisset, tamen iure ab eo peti posset: interest enim Reipublicae, vt authoritati rerum coram iudice gestarum stetur, nec fisco quaesitum commodum interuertatur. *L. II. C. de Transact.*

XXXV.

Demum ad executionem Vicesimae nostrae pertinet, quod inter sententias a Paulo IC. relatum est, *Lib. IV. Tit. VI.* testamenta statim post mortem testatoris aperiri debere: quod non sit magis aequum, per causam testamenti clausi, heredibus, aut legatariis, aut libertatibus moram fieri, quam necessario vectigali, id est, vicesimae, oneri necessitate publica urgente inducto. Nisi quod absentibus conficiendo itinere, in vicena millia passuum singuli dies dati sint; ob quod tractans de Lege Vicesimae dinumerandi mille passus modum definiuit Macer, in *L. CLIV. de V. S.*

XXXVI.

Neque ob aliam causam Imperatores in

C

L. VI.

L. VI. C. Quor. appellai. non recip. constituerunt,
 aduersus sententiam, qua testamenti apertura
 mandatur, item aduersus heredum scriptorum
 missionem in bonorum defuncti possessionem,
 appellare non licere; nisi quia commodum pu-
 blicum, quod intuitu Vicesimae suberat, diutur-
 na frustratione suspendi iniquum ducerent.
 Quod etiam *L. xxxvi. C. Theodos. eod. tit. L. ult.*
D. de Appell. recip. vel non. & Tit. D. & C. quem-
admodum testam. aperiantur, expressum est.

XXXVII.

Ipsum denique illud Diui Hadriani Edi-
 ctum, cuius beneficio, post aperturam & reci-
 tationem testamenti, scriptus heres intra annum,
 licet falsum, irritum, ruptumque testamentum
 diceretur, sine metu appellationis mittebatur in
 possessionem rerum hereditariarum, vt Iustinia-
 nus ait, sub occasione Vicesimae hereditatum,
 fisco praestandae, inductum fuerat, ne qua ve-
 stigali isti dependendo fieret mora *l. ult. C. de*
Edict. Diu. Hadr. toll.

XXXVIII.

Verum antiquatum non modo à Iustinia-
 no est hoc Hadriani Edictum; sed ipsa Vicesi-
 ma nostra dudum ex Romana Republica reces-
 sit. Quando autem abolita illa primum fuerit,
 tam

tam incertum mihi est, ut vlla ratione certum fieri posse non existimem: etsi ante tempora Iustiniani id contigisse, testis sit ipsa Iustiniani constitutio. Equidem Alciatus, Pancirolus, & cum his communis Doctorum Schola, eam à Gratiano sublatam scribunt, idque Ausonium in *Gratiarum actione* testari: sed abuti eos Ausonii autoritate Cuiacius obseruat, ad *Paul. recept. Lib. IV. Tit. VI.* Videtur sensim obsoleuisse publicum hoc Vicesimae onus, postquam nimis productum esset, liberalitate quadam Christianorum Principum. Balduin. in *Iustin. lib. III. p. 292.*

XXXIX.

Inanem ergo me laborem in percensendo iure, quod in ipsis rerum argumentis non amplius obtinet, insumpsisse dices. Enim vero praeterquam quod ex iam dictis satis constet, multa esse in Pandectis aequae ac Codice, quae ex antiquo Vicesimae iure arcessenda sunt, atque ipsas etiam leges ignorantia eius aliquando deturpatae, veluti cum L. LXVIII ad L. Falcid. in vulgatis editionibus Venuleio, secundum Haloandrinam autem Maximo ad L. Falcidiam, adscribitur, ejusque initium fit *HEREDITATIVUM COMPUTATIONIS*: cuius tamen inscriptio genuina, iuxta Pandectas Florentinas erat.

AEMILIUS MACER LIBRO II. AD LEGEM VICESIMAM HEREDITATVM:
 initium vero: COMPUTATIONI IN ALLI-
 MENTIS. quo de Anton. Augustin. *Emendat.*
L.I. cap. IV. Praeter haec, inquam, quae usum vi-
 cesimae exhibere poterant, accedit, quod in ple-
 risque Germaniae locis, vt vt non ipsa illa Ro-
 mana Vicesima, simile tamen quid eius rece-
 ptum sit.

XLI.

Sic quibusdam in locis, aliquid ex heredi-
 tate semper fisco, aut qui huius loco est, prae-
 standum esse notat Struui. *Exerc. xxxviii. thes.*
 42. Alii plerique hac ipsa ex Vicesima originem
 repetunt iuris detractionis, quod in Germania
 non tantum, sed & in aliis Europae regnis inua-
 luit, huiusque ex illa aequitatem docent. De-
 cian. *Resp. XIV. n. 55.* Richt. *ad L. ult. C. de Edict.*
D. Hadr. toll. Rhet. de Sarcina Emigrant. c. II. n. 3.
 Teuber. *P. 1. qu. xv.* Consil. Altdorff. *Vol. II. Resp.*
 46. His in Prouinciis passim inoleuit, praestatio
 quaedam, vicesimae Romanorum non omnino
 absimilis, qua singuli heredes domino iurisdicti-
 onis Florenum, EINEN ERB-GVLDEN, ex-
 soluere tenentur, de quo praestationis genere,
 quia non raro in disceptationem venit, pauca sub-
 uicemus.

XLII.

XLII.

Debet originem suam iuri non scripto, quo ad exemplum vicesimae, ut videtur, onus hoc ab heredibus non tam fiscus, quam potius is, qui iurisdictioni praefectus est, exigit. Vnde haud suffecerit ei, qui hereditarium hoc onus inferri a subditis suis vult, ad ius commune provocasse, sed omnino siue statuto, siue consuetudine id inductum probare debet: ita ut nec audiendus sit, qui ex hoc solo, quod in locis confinis, consuetudo talis obtineat, intentionem suam firmare velit. L. B. de Lyncker. *Dec. CCCLXXII.*

XLIII.

Absoluet igitur magistratus hanc probationem, vel exhibendo statuta rite condita, vel frequentatam moribus consuetudinem ostendendo. Quae & ipsa tamen, haut ultra fines, intra quos actus perceptionis subsistunt, extendenda venit, & ut adminiculis suis suffulta sit necesse est.

XLIV.

Vnde si magistratus probasset tantum exactionem, a subditis in causis delatae hereditatis factam; nec quicquam licebit idem onus ad legatarios porrigere. Veluti eo nomine, atque his ipsis ex causis, felici successu exceptionem oppositam in superiori instantia praefecto cuidam

memini; a legatario die *Erbgebühren* exigenti, intentata etiam, ni si legatarius sponte solueret, executione: *weil in dem Amt N. N. die notorische Gewohnheit sey, das so wohl die Legatarii, als Heredes, die Erbgebühren zu entrichten schuldig.* Reponebatur enim a legatario, *er habe die iura communia vor sich, (praesumptionem puta pro libertate) die von denen Beamten aber allegirte consuetudo contraria, sey facti und zu beweisen, zumahlen dergleichen Gewohnheiten nicht leicht zu bestehen pflegten, und die desfalls angeführte notorietat, durch nichts als der Herren Beamten assertion kund worden, welche jedoch ihres mit einlauffenden, und vornehmlich gesuchten interesse halber, ziemlich verdächtig und nicht sufficient: ia wann auch gleich einige Exempel berühret, und angegeben werden könnten, würden es doch nur einfaltige Bauern seyn, so der Rechten unkündig, und demnach mehr, als sie schuldig praestiret, welches zu Einföhrung einer beständigen Gewohnheit bey weiten nicht hinlänglich.* Quae tandem exoptata sententia absolutoria insequatur.

XLV.

Porro, causa praestationis huius, vt & nomen indicat, indepta hereditas est, vt nec sanguinis ratio plerumque haberi soleat. Fluit tamen inde, si tota hereditas

tas

tas acre alieno exhausta esset, ob solum nomen heredis
haud quicquam hoc onere praegravandum quem fore; per
ea quae tradit Knipschild *de Civitat. Imper. L. II. C. XX. n. 54.*

XLVI.

Sed quid si defunctus extra locum domicilii, quae-
dam praedia possideat, atque eo defuncto, heredes ista ser-
uare velint, cetera autem omnia quae in loco domicilii re-
liquerat, acre alieno absumentur: poteruntne heredes,
hoc praetextu, quod nihil ex bonis in domicilio defuncti
existentibus, ad ipsos peruenturum sit, onere isto se libera-
re? Nequaquam. Quamuis enim ob bona extra iurisdic-
tionem suam sita, iudex domicilii *den Erb-Gülden*, non iure exi-
gat: haut tamen aequum fuerit, quod totam defuncti sub-
stantiam aequae afficit, eum in finem ex solis illis in loco do-
micilii sitis deducere, quo magistratus eius loci suae iurisdic-
tionis fructu carere cogatur. Excipi ergo poterit, *das die Er-
ben nicht berechtiget gewesen, damit sie denen Gerichten den
bergebracht Erb-Gülden dispuirlich zu machen Gelegen-
heit haben möchten durch unter sich errichteten Vergleich die
Abführung der Schulden auf gewisse Güter alleine zu legen,
und die in andern Gerichten gelegene, dadurch zu befreien,*

XLVII.

Plane, in eo praestatio *der Erb-Gebühren* non pa-
rum a vicesima Romanorum recedit, quod non ex quan-
titate bonorum in quae successio fit, sed pro numero
personarum quae succedunt, imponatur, quo saepe valde
iniqua conditio heredibus inferitur.

XLVIII.

Enimvero varia est praestationis eius quantitas: vt
plurimum tamen à singulis heredibus singuli Floreni pen-
duntur: *so viel Erben, so viel Gülden*: alicubi non flore-
ni, sed imperiales, *Erb-Thaler*, exiguntur. Quibus, vt
plu-

plurimum alia infuper onera accedunt. v. g. *Sterbe-Lohn*.
Inventur item Ab- und Zuschreibe-Gebühren, & si quae alia
 huius generis sunt, quibus miseri heredes praegravantur.

XLIX.

Vidi, vbi ex hereditate paterna, deducto aere alieno,
 liberi singuli vix quinque florenos, dominus iurisdictionis
 autem decem, ob numerosam defuncti prolem conseque-
 batur. Non minor acerbitas subesse potest, si ex singulis
 fundis, sub diuersis iurisdictionibus sitis, singuli domini
 a singulis heredibus aequè hoc onus exigant, pro numero
 iurisdictionum magis, quam personarum, pretium inten-
 dentes. In quo non modo vigesimae exactores longe vin-
 cunt, sed saepe liberae conditionis homines, durioribus,
 quam alibi terrarum domini adscriptios suos, exactoribus
 opprimunt. Idque non vt publicis necessitatibus, qui fi-
 nis inductae vicessimae erat, subueniant, sed vt priuatae
 ipsorum res luculentius incrementum ex eo capiant.

L.

Illud dubio caret, onus istud hereditarium eodem
 modo, quo introduci diximus, in contrarium acto, rursus
 aboleri. Scilicet si, vtcunque exigendi oneris iusta occa-
 sio se obtulisset, is tamen, qui iurisdictioni praeest, tem-
 pore legibus definito a nullo heredum quicquam exegis-
 set. Et si ea in re, negligentiam administratorum domi-
 nis fraudi esse non debere, haut inuitus largior, per ea quae
 tradit L. B. de Lynck. *Dec. CVIII.*

Atque haec sunt B. L. quae de neglecto fere, vtilissimo
 samen, opinor, vicessimae iure, quantum instituta bre-
 uitas & modus positionum academicarum patiebatur, imo
 etiam magis quam patiebatur, dicenda putavi: plura, hisq;
 meliora dare, aliis relinquo, qui par his ausis ingenium,
 doctrinam & experientiam asferre poterunt. Mihi
 hic subsistendum, tribuendaque

SOLI DEO GLORIA!

ULB Halle
003 331 911


3



Sl.







1709, 14 15
36

DE
VICESIMA
HEREDITATVM
POSITIONES IVRIDICÆ

QUAS

DIVINA FAVENTE GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
GVILIELMO HENRICO

SERENISSIMO SAXONIE DUCE AC
PRINCIPE JUVENTUTIS

DECRETO ILLUSTRIS IURECONSULTO-
RUM ORDINIS

SVB PRÆSIDIO

JO. PHILIPPI SLEVOGTII

J. C. CONSIL. SAXON. ET ANTEC. FACULT. JURIDIC. ET
SCAB. SENIORIS, CURIÆ PROVINCIALIS ADSESSORIS
GRAVISSIMI

*PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI CULTU
ÆTATEM PROSEQUENDI*

PRO LICENTIA

GRADUM ET PRIVILEGIA DOCTORIS IN VTROQUE
JURE OBTINENDI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

CHRISTIAN. FRIDERICVS SCHROETER
IENENSIS.

A. D. NOVEMBR. M DCC IX.

JENÆ, LITERIS VVERTHERIANIS.

